CCCCCXXI

ACROSTICHON

Hoc

Laudi & Honori

Univerſitatis Oxonienſis Academiarum in Orbe florentium Matris, Angliæ Nitoris, Mundi Luminis, Muſarum Latiarum, Græcarum, & Hebræarum perpetuæ Sedis, Peregrinorum gratiâ Studiorum has in oras divertentium benigniſſimæ Altricis, &c. Sincero canebam animo Georgius Szilágyi Ungarus Anno 1671. die Julii 5.

UNde tuas laudes exordiar? ô pia Mater!
Neſcio, nec voti mens mea compos erit.
Ingens, namque tibi eſt cunctarum gloria rerum;
Verba mihi deſunt, carmina tarda fluunt.
Et quamvis nequeam meritis te dicere metris,
Rem tamen haud linquam, quæ faciunda foret.
Sanctus amor cogit, Mater! tua gratia cogit
Ingens, aggrediar viribus impar opus.
Tales ergo modos placidè nunc ſuſcipe Mater
Alma! precor, quales fundere Muſa poteſt.
Salve Stella! decus! ſalve Regina Scholarum
Omnûm! quas ſplendens Orbis in Orbe fovet.
Ξενὼν ô ſalve Muſarum dulce ſacrarum!
O ſalve cuncti maxima fama ſoli!
Non tibi, credo, locum ſimilem natura creavit,
Illuſtri qui tam nobilitate nitet.
En! ego, quod verum eſt iterumque iterumque fatebor,
Nobile quicquid habet totus hic Orbis, habes.
Sacros Eloquii latices jactare Latini,
Ingens Roma, tuos deſine, jamque ſile.
Suavis namque Maro, Ciceroque, & cætera turba
Almam te Matrem deſeruêre ſuam;
Lætaſque Oxonii ſedes, Antrumque decorum
Magnificè celebrant, unanimeſque colunt.
Aha! Roma nitens! en quo tua ſtemmata cedunt?
Magnum quæ fuerant Orbis in Orbe decus?
An non Oxonio ceſſit tua gloria quævis?
Tu quâ fulgeſcens nîl niſi ſplendor eras.
Et tu, quæſo, tuum ne dicas Græcia Homerum,
Rarum necque tuum dic Xenophonta virum.
Et ſic necque tuas Muſas agnoſcere debes;
Tranſivêre omnes, Oxoniumque tenent.
Dulcis vox Abrahæ Terris exceſſit Hebræis,
Exceſſit, credas, Oxoniique ſonat.
Candidus hîc reſonat Moyſes, hîc Joſua fundit
Voces Hebræas, deliciaſque pias.
Sanctior hîc Samuel, Nechemias, juſtus Jobus,
Ac Salomon Magnus, Jeremiaſque tonant.
Clarus & hîc Daniel divina oracula pandit,
Atque Joël loquitur, Zechariaſque docet.
Denique quid memorem ſtructuris Tecta ſtupenda?
Eximias Aulas? Templa? Theatra? Scholas?
Majus opus terris non his ſpectare licebit,
Ingens hæc fecit Dædalus arte Deus.
Aulæ hîc ſunt Regum, ſunt hîc Palatia Regum,
Regum, quos mirè ſingula Regna canunt.
Vera loquor: ſed parce, precor, cum ſic tibi teſtor,
Munde Parens! hac tu totus in Urbe nites.

Alia Carmina in ejuſdem Academiæ laudem.

Noſcere ſi cupias totius ſtemmata Mundi,
Oxonium venias, hæcque videre potes.
Vis Latias, Græcas, Hebræas cernere Muſas?
Oxonium venias, haſque videre potes.
Si cupis Angelicos vultus ſpectare virorum,
Oxonium venias, hoſque videre potes.
Cernere ſi poſcas ædes, miracula rerum,
Oxonium venias, haſce videre potes.
Divitias Orbis ſi vis cognoſcere claras,
Oxonium venias, haſque videre potes.
Neſcin' ubi gratìs permultis præmia dantur?
Oxonium venias, hoc quoque nôſſe potes.
Hic, & vix alibi poteris cognoſcere Divos
Præſentes, qui tot fundere dona ſolent;
Quod ver dat flores, ac æſtas præbet ariſtas,
Quodve nitent celſo ſydera clara Polo.
Hoc quod ſit verum, totus teſtabitur Orbis,
Illum ſi quæras Lector Amice, vale.